Stanislaus Augustus Dei Gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithuaniae Russiae Prussiae Masoviae Samogitiae Kijoviae Volhyniae Podoliae Podlachiae Livoniae Smolensciae Severiae Czerniechoviaeque.

№ 260 G Ch lii KSK

Significamus praesentibus Literis Nostris quorum interest universis et singulis. Expositum Nobis esse per certos Consiliarios Nostros Lateri Nostro assidentes nomine et pro parte Generosi Alexandri Otocki; qualiter ipse in negotio acsi accelerationis fatorum in defensione vitae suae olim Generoso Jacobo Niniewski, vim sibi à Successoribus et Consanguineis ejus inferri metuat ac perhorrescat, supplicatumque Nobis est, ut antequam subsequatur causae istius in Foro competenti decisio, ipsi de opportuno Juris remedio subvenire, ac Literis Salvi Conductus Nostri ut securius jure agere et emundare se se possit, providere dignaremur. Cui Supplicationi Nos benigne annuentes, memoratum Generosum Alexandrum Otocki in Protectionem Nostram Regiam assumendum, et Literas Salvi Conductus Nostri, ut praemissum est, ad jure agendum dandas et concedendas esse duximus, uti quidem ad decursum sex Mensium à data praesentium computandorum, à vi et potentia, non autem à jure, damus et concedimus. Quibus quidem Literis Salvi Conductus Nostri memoratus Genosus Alexander Otocki fretus et munitus tute, secure, libere et sine ulla perhorrescentia in Regno Dominiisque Nostris versari, manere, negotia sua licita et honesta peragere, et coram quovis Judicio et Subsellio Regni comparere, stare, respondere, Causamque suam promovere et defendere poterit, persona, rebus, bonis suis, sub hac protectione Nostra Regia salvis manentibus, ita tamen ut ipse modeste se gerat, rixarum et contentionum occasionem non praebeat, ac de objecto criminis quamocius se se emundet, beneficioque hoc Nostro non abutatur. Quod omnibus quorum interest praesertim vero Gnosis locorum quorumvis Capitaneis, et eorum Officiis notum esse volentes: mandamus, ut has Salvi Conductus Nostri Literas ad Acta Sua suscipi, et more solito publicari faciant, easque et ipsi observent et ab aliis observari curent pro Gratia Nostra Regia. In quorum fidem praesentes Manu Nostra subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Varsaviae die XXVI. Mensis Augusti Anno Domini MDCCLXXXVI. Regni vero Nostri XXII. Anno.

Stanislaus Augustus Rex

Literae Salvi Conductus Generoso Alexandro Otocki ad jure agendum à vi et potentia Successorum et Consanguineorum olim Generosi Jacobi Niniewski ad spatium sex Mensium dantur.

Nicolaus Sikorski S. R. M.tis
et Sigilli Majoris Regni protunc Secretarius.

260.

Stanisław

Cancellariatu

Illmi Exllmi et Rndmi Domini

Antonii Onuphrii de Okęcie

Okęcki

Eppi Posnaniensis et Varsaviensis

Supremi Regni Cancellarii

sigillatum

est in Actis

515